



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 63. Quid addedum circa nomen, quod in Baptismo imponitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42545

Si tamen alia signa credulitatis accedant, cogi potest sic nominatus ad alendam suo tempore prolem: quod si aliquis ex justa causa permittat se dici Parentem & pro tali inscribi, per se loquendo, non peccat, sed per accidens difficulter effugietur omne mendacium. De hoc tamen videri potest Gob in annotatione post num. 163.

Q. 63. Quid addendum circa nomen, quod in Baptismo imponitur. R. seqq.

§. 1. Non est quidem præceptum, est tamen 329.
pium monitum Pii V. & Pauli V., ut infantibus non imponantur nomina, nisi Sanctorum; pro quo multas congruentias affert Rayn. in libello de pietate erga particulares Sanctos c. 11.; hinc non peccat, qui imponit nomen hominis etiam non beatificati. Non est tamen facile acquiescendum volenti imponere nomen ethnicum, quia est quædam offensio Christiani nominis, uti habet Catech. Rom. de Bapt. cap. 14. n. 3. Improbant etiam Vasq. & Quintanadv. nomina antiqui testamenti, quia videtur deotari sanguis hebræus; sed quoad hæc facienda non est difficultas pro his partibus, in quibus passim usurpantur nomina Adami, Danielis, Jeremiæ, Tobie, Jacobi, Davidis, Abrahami, &c.

§. 2. Si non possit satis dignosci, an infans sit 330.
masculus, an foemina, & videatur esse periculum mortis, omitti potest nomen, & dici, creatura Dei, ego te baptizo &c. Si autem infans putetur superviviturus, Vivald. & Chapeav. dicunt illi dandū esse nomen viri, quia in dubio præsumitur sexus masculinus, cum natura semper ad eum utpote perfectionem tendat; alii putant dandū esse nomen foeminae, quia natura deficientis solet harum

plures procreare : *Gob. tr. 2. n. 339.* melius dicitur imponendum viri & foeminae, sicuti de facto multi viri vocantur, *Petrus Maria &c.* postea autem cum apparuerit, cujus sexus sit, nomen oppositi sexus poterit vel dimitti vel etiam retineri, nam constat in hac nostra Germania etiam masculis in Baptismo dari nomina, v. g. *Petrus Maria Joseph.*

331. §. 3. Si sexus mutetur, v. g. si quis ex foemina fiat vir, quod frequenter factum esse testantur Authores apud *Gob. n. 338.* nomen è foeminatione mutandum est in masculinum, vel contra v. g. vocando pro *Petronilla* *Petrum*, pro *Joanne* *Joannam*, ad quam mutationem non requiritur auctoritas Episcopi, uti vult *Sotus*; neque Superioris, uti vult *Sa.*, sed fieri potest auctoritate privatâ, uti melius docent *Abb. Bonac. & alii*, cum nulla de hoc sit lex vel consuetudo rectè tamen notat *Gob. n. 340.* ad confusionem & errorem vitandum monendos esse paternos vel Parochum. Addit *Dicast. d. 1. n. 154.* nomen in Baptismo impositum posse propriâ auctoritate mutari, eò quòd non videatur ullo jure prohiberi. De cætero, debet ordinariè nomen imponi secundùm designationem Parentum, *Gob. n. 342.*

332. §. 4. Nulla ex nomine capi potest præsumptio de natura vel vitio alicujus, unde frivolum est dicere, v. g. de aliquo *Petro*, quòd sit calidi capitis; de aliquo *Juda*, quòd sit furax; per accidens enim est sic vocari, nec nomen impositum aliquid confert ad naturam, *Gob. n. 343.* contra aliquos Juristas.